



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

**RELATIO IV. De eodem Ian.**

**1626**

RELATIO IV.

Brunsvigæ autem Legati adhuc unâ fuerunt, præter Furstenburgium. Ut aliquid in rem expediatur: multum adhuc dubitatur. Fridlandensis & Tillæi impressio Hornburgensis in fumum abiit.

RELATIO IV.

De eodem Ian.

**C**irca 10. Januarij PAPA Barbarinum in Hispaniam misit, ut Genethliacis Hispanicæ infantis interfit, & cum Rege serio de pace, Italiæ restituenda agat. *Crevegareum* Genuensis ditionis, à Gallis & Sabaudis direptum & exustum est. Dux Sabaudia 25000. paratos habet ad expeditionem. Similiter Genuæ maximi contra Sabaudum sunt apparatus bellici: quod illis tantò magis cordi est, quanto is propi<sup>9</sup> ad eos, vastatis multis ipsorum agris, accedit, quantoque huic eidem majores copiarum quotidie fiunt accessiones, tum ex aliis, tum ex Suiceris. tum ex illis, quos Dux Lanquivil<sup>9</sup> collegit: hic tamen priusquam ad Sabaudum mearet, dicitur in Montiferati; qui inter Tanarum Padumque interjacet; Ducarum diversis in locis quasi sexcentos Mediolanensium trucidasse: successurusque est Ladigiræ, qui jam fertur esse Grabovilæ. Militem Neapolitanum multum perire lue, constat. quare alius ex Germania colligitur. Gubernator Mediolanensis manibus pedibusque laborat, ut stipendium Helvetiis debitum paret, iis solvendum. Sed *Francicus Legatus* in id incumbit, ut Pontificios Helvetios in sui Regis partes pertrahat, magna ipsis pollicens, cum alia, tum  
non

non solum 50000 Coronatorum, quibus Hispanus Suiceris illis est oboxius, solutionem, sed etiam se effecturum, ut Rex suus magnam vim pecuniæ prænumeret. Quibus rebus consecutus est, ut Hispanis denegetur liber in Helvetiam aditus: utq; præter Lucernenses & Amdorfenses reliqui in sententiam Legati concesserint.

Circa 17. Ianua. 7000. pedites & 500. equites, benè instructi Galli, per Helvetiam ad confœderatos ierunt. Sed & quotidie cogitur miles, qui in Pedemontum se conferat. Catholici Suicere valde irati sunt Hispano, ob non soluta stipendia: videnturq; magis in Gallum quàm Hispanum nunc inclinare.

Solothurni comitia habuerunt *Helvetij*: quibus interfuit Gallia Regis Legatus, qui habuit quæ nomine Regis ipsis exponeret. Et *Bernenses* quidem 2000, suis sumptibus qui militent Regi, mittent: nec deerunt his conatibus cæteri. *Caplierus* quoq; Brixiam, quæ ditionis est Venetorum, mille viros ablegavit.

*Mansfeldiaci* & *Saxonici*, Hispanicarum partium milites, amisissis suorum quàm plurimis, per Helvetiam, in manipulos distributi, in Germaniam profecti sunt, non sine aspicientium commiseratione.

In *Silesia* *Uratislavia* conducti sunt 3000, supplementum copiarum *Fridlandensium*. A *Cætare* huc illuc missa sunt 64 patentia, ut vocant, mandata de colligendis cohortibus, quotquot haberi possint: siquidem, compertum sit, *Mansfeldensem*, qui auspicia Regum quorundam confœderatorum observat, ingentem colligere militum manum.

*Bobemis* nova & gravia vectigalia, interprete su-

#### RELATIO IV.

primo Terrarum illarum Magistro, & aliis Regni Officiariis, qui circa Idus Ianuarij Pragam appulerunt, impositum iri referunt: quosdamq; in mandatis habere, ut decretum de exturbandis Pragâ Evangelicis tandem exequantur: quibus tamen adhuc Archiepiscopus loci & supremus aulae Magister adversentur. Sed *Archi-mandrita* ad Divam Virginem in urbe Pragensi, quæ parvum latus vulgò dicitur, omnibus civibus commercia interdixit, jubens, ut, quotquot Pontificium dogma non essent recepturi, intra decimum quartum diem exirent Pragâ. *Præfectis* *Cæsareis* per totum Bohemiæ regnum inunctum est, curent, omne frumentum, quod adhuc in spicis reconditum in horreis asservatur, triturrari & Pragam mitti. Quid verò hoc sibi velit, sperice tempus. Et quia *Opifices*, Laniones, Macellarii, Salsamentarii, & id genus cæteri, pro libidine hætenus flagellarunt suas merces: constitutum est his publicè certum pretium.

In *Gallia* Pontificis stabella transactionem inter Regem & Evangelicos manibus pedibusq; impediunt: à quibus & Rex, cum ad gerendum id bellum furiosi illi liberalissimos sumtus promitterent, persuasus, omnes suas legiones Rupellas petere iussit, qui vallis pluribus eiectionis, & fossis cæcis eas eingant, eruptionesq; quas in Regem ante hac sæpè fecerunt, ipsis præscindant. *Rupellenses* verò animo ad omnia obfirmato constiterunt extrema pati: cum & necessarijs sint in longum tempus instructi; nec mare ipsis sit præclusum; & subsidia Soubiziana ex Anglia expectent: & frater Domini de Soubize, de Rotomago, apud Montauban-

caurbanum, Quercensis regionis in Gallia oppidum, juxta cum aliis firmum exercitum colligat, ad castra ibi collocanda. :

*Classis Anglica* quædam naves, littoribus Hispanicis, militum adverſa valetudine & internecione coactæ, relictis, domum reverſæ, aliam nunc impreſſionem meditantur.

Ex magnâ *Britannia* Mansfeldico & Duci Christiano propediem ſubſidio aderunt 8000 Scoti, Ejus *Rex* propositum habet amplas legiones terrâ cogere: quod apud ſe conſtituiſſe etiam *Status*, ex multis ſignis apparet. Horum classis dicitur expugnâſſe maximi momenti urbem *Porto Ricco* dictam. Sed, niſi citius ipsis ſubveniatur quàm *Baijs* factum; fortè iſtud quod; breve erit gaudium: præſertim cum *Hispanus* non exiguum navium numerum, quæ oppreſſis ſuccurrant, eò deſtinarit. *Selandi* duas *Flandricas* naves pyratikas captas in portum deduxerunt. Qui juri dicundo in pagis, quæ *Bredam* cingunt, præſunt, Hagæ Comitum à Scatibus com meatum ſibi ſuiſq; communicari, multis petiverunt: nâ faciunt, pagos quosdam fame interituros: quorum preces nûm locum inventuræ ſint, nescitur. adhuc.

Litteræ *Coloniâ* *Agrippinæ* acceptæ confirmant quidem cladem, quæ à Christiano Duce *Brunſvicenſi* illata nuper fuit *Tillæis* (quos *Baro de Nerſen* duxit) quæque *Nerſenium* omnibus equis, impedimentis, & tribus vexillis equeſtribus exiit: ſed multos tamen milites ſalvos evaſiſſe: retroceſſiſſe autem certò *Tillæos* & *Wallenſtenianos*: ad quos, quæ *Episcopatibus* *Monasterienſi* & *Oſenburgico* impoſita fuerunt, præſidia *Onholſti-*